

PERILLVSTRI
REVERENDISSIMOQ.


PATRI DOMINO MONTIDE

VALENTIBVS DE TREBIO

Protonotario Apostolico, &c.

MARCVS ANTONIVS MVRETVS

& Iacobus Brianza Bibliopola. S. D.



VM nobis tuæ primum præclara vir-
tutis ac splendoris, deinde eius qua
nos complexus es benevolentia in
mentem venit (venit auté sapissime)
non solum ingrati, quod ipsum gra-
ue est, sed etiam merito, ac iure im-
pij videremur si aliqua ex parte inti-

mos animorum nostrorum in te, tuamq; laudem sensus nõ
aperiremus. Idcirco statim vt Canonicas has Institutiones
varia, infinitaq; doctrina refertas, typis tertio valde pu-
riores, Casibus alijs plerisque additis, mandare decreueri-
mus: facile futurum putauimus, vt qui tibi à nobis inscri-
ptas ternerent, significationem haberent propensionis
erga te nostræ. quam in sententiam egregia animi alacri-
tate eo magis descendimus, accuratius meditantes, nulli
magis hæc Pontificij Iuris Epitome cõuenire, perspectum
cum sit, te non minus tale Ius tractasse (in causis præcipue
tibi speciatim delegatis) quàm Casarcum, dum Prouin-
ciarum Piceni, Perusiæ, Flaminia, necnon almæ Urbis, Ro-

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI

LIBER PRIMVS.



I. O. PAVLVVS. In huius operis principio quædam sunt prænotanda; videlicet, quæ sit auctoris intentio, quæ materia, quæ utilitas, cui parti Philosophiæ supponatur, quis

quædam, quæ disciplinæ cuiuslibet elementa: alibi autem verbum instituo variè sumitur, vt not. infra de instit. in rub. b. ¶ Perusinus. Id est, de Perugia, quæ est antiquissima, & inter primatias Etruriæ ciuitates, peperitque semper viros bellica laude, & vtriusque iuris scientia insignes, aliisque innumeris dotibus est conspicua. Ideo autem sic expone;

Perusia.

I. O. PAVLVVS • LANCELOTVS I. C. PERVSINVS, IVRIS Pontificij candidatis • S. d

ritque semper viros bellica laude, & vtriusque iuris scientia insignes, aliisque innumeris dotibus est conspicua. Ideo autem sic expone;

Auctoris intentio.

modus agendi, & quis libri titulus. Intentio auctoris fuit scribere pro tyronibus librum ad faciliorem introductionem ad Iuris Canonici cognitionem, & ad similitudinem Iuris Ciuilibis. Putabat id conuenire, vt scriberetur nomine Pontificio, vt claret in præmio, & in 1. lib. Commentarij, vbi de hoc latissime dicit.

Materia

Materia sunt omnes libri Iuris Canonici hactenus recepti, vnde hæc institutiones fuerunt desumptæ, & res in dictis libris contentæ.

Utilitas

Utilitas est, quia his institutionibus lectis & intellectis, facilius peruenitur ad cognitionem Iuris Canonici: & sic peruenitur ad scientiam discernendi inter æquum & iniquum: & reddendi vnicuique quod suum est. 12. q. 2. c. cum deuotissimæ. & instit. de iustit. & iure. §. iuris.

Cui parti Philosophiæ libet supponatur. Modus agendi.

Supponitur Ethicæ, id est, mortali scientiæ, sicut & alij libri Iuris: vnde inquit Imperator: hominû mores intendimus corrigere. l. 1. c. de secun. nupt. & infra de ut. & hon. prælat. per totum.

Modus agendi est talis, Proæmio proposito ac præfixo diuidit auctor opus suum in quattuor partes siue libros. In prima parte postquàm posuit originem, & ex quibus constat ius Canonici, tractat de personis, & eorû officijs, & beneficijs. In secunda tractat de rebus, tam spiritualibus, quàm temporalibus. In tertia de iudicijs ciuilibus. In quarta de iudicijs criminalibus, & de eccl' iuris eccl'asticis, quas quis incurrit ob commissâ criminâ: & sic terminat opus suum diuidens illud in quattuor partes. vnde versus:

*Personas nos prima docet pars, Resq. secunda:
Tertia, dat Iudices, Crimina quarta premit*

Quattuor numeri.

Est autem quaternarius numerus. secundum Pythagoricos, insignis & nobilis. Hinc copula conjugalis est restricta vsq; ad quartum gradum: hinc quattuor elementa, quattuor in corpore humores, quattuor cæli plagæ, quattuor anni tempora, quattuor venti cardinales: & subtilitas est quadripartita; cû alia sit corporalis tantum, alia vegetatiua, alia sensitua, alia intellectiua. ite nomê Dei tetragrammaton. i. quattuor litterarû, & ex quattuor oritur Decas: nã vnû, duo tria & quattuor producunt decem: quæ decas est omnium rerû generalissima, de qua p. Triaq. de præscrip. §. 1. glo. 4. super verbo per decem annos, & per Rodig. lect. antiq. lib. 12. c. 9.

Decas.

Titulus est & operis inscriptio: institutiones Iuris Canonici: quia scilicet his iuuenes ad perdiscendum Ius Canonicum instituuntur & ordinantur. Sunt enim institutiones, præceptiones ac elementa

quæ non sequitur necessario: Appellatur Perusinus, ergo est de Perugia: sola enim nominis similitudo non est satis ad confirmandam cuiusque originem. l. fin. §. pen. ff. ad municip. de incol. de quolite per Legittas in rub. ff. solut. marit. qui ex hoc inferunt ad multas quæstiones. Et hoc ideo adiecit auctor ad designandâ suæ familiæ & agnationis diuersitatem ab ijs quæ eiusdem nominis Lancelotorum reperiuntur Romæ, Mediolani, Florentiæ, Spoleti, & forsitan etiam alibi.

c. ¶ Candidatis. Id est nouitijs scholaribus Et sic not. quod hic liber non est scriptus doctoribus, prout liber Gregorianæ compilationis, & liber Sexti, & Clementinarum. Sic & Iustinianus Institutiones suas cupide legum iuuentuti nuncupauit: non autem iureconsultis consummatas. Appellat autem candidatos huiusmodi nouitios, sumpta translatione ab his, qui ad magistratum aliquem apud Romanos aspirabant, qui per comitia induiti toga candida, suffragatores rogando, & obsecrâdo incedebant.

d. ¶ Salutem. Soler autem dubitari apud Rhetotes, an salutatio sit pars epistolæ, vt not. in Proæ Sexti, libri argumen. quod non. Clemen. 6. summus §. 1. de sentent. ex com. Putat autem Plat. scribens ad Dionysium, Dum ad amicos scribimus, in inscriptione epistolæ non gaudere, sed bene agere ponendum esse: sed certe qui salutem precatur, bene agere precatur. Sed quid operatur salutatio? Respon. si sumus in priuato, operatur remissionem iniuriæ. Bald. in l. 1. ff. de lib. & postum. cap. omni. 24. quæstio. 2. Sic contra, non salutans prius salutare solimus, inimicus præsumitur. 10. in cap. cû Adrianus distinct. 73. & per Abb. in c. ad hoc. t. de appel. & in cap. cum super. de offi. deleg. & in cap. repellantur. de accus. Salutatio autem Papæ dicitur remittere peccata venialia, secundum Abb. in Proæm. Decret. in vlti. not. vbi de hoc late habet. Conuenit autem salutandi actus tam maiori erga minorem, quam pari erga parem. l. Publia. §. Titius. l. Quintus Mutius. ff. de pos. l. Domitius. ff. de test. quam etiam inferiori erga superiorem: excepto principe, qui ab inferioribus non saluatur: exceptis paucis, quibus id in privilegium conceditur. de quibus in l. 2. c. de proxi. sac. lib. 12. & in l. 1. c. de silent. eod. lib.

Candidati


Salutatio an pars epistolæ.

Bene agere. Salutatio quid operatur. Salutatio non salutans præsumitur iniuriosus. Salutatio Papæ.

Regulæ Præceptis ab inferioribus non salutantur.

INSTITUTIONVM IVRIS CANONICI

LIBER SECVNDVS.



DE RERVM DIVISIONE, atque illorum administratione.

Io. Bapt.

Continuat hęc materia de rebus per text. presentis tit in prin. sed not. quia cum secū- dum ordi-

nem doctrinę cō- veniebat eam explicare primo in uniuersali iuxta. no. si. in rub. de iure can. propterea tit. iste à princ. proponit: qui in tres diuidit partes in prima. n. ad not. ut dixi continuatio: in secūda ipsarum rerum diuisio: in 3. quo ordine res istę sunt explicā. proponitur. secūda ibi summa: tertia ibi, videamus.

Res.

a ¶ Rerum. Acci- pe uerbum hoc lat- gissime, ut compre- hendat res tempo- rales, & spiritua- les, corporales, & incorporales, iuxta ea, quę habēt in l. rei. ff. de verb. sig. & in l. 1. ff. si cert. pet. & per Abb. in ca. 1. de reg. iur. & not. in cap. 1. de re- bus eccl. non alie. in 6. & passim.

Superiori libro. ¶ CASVS. Hic non si- guratur not. tamē continuationem sic- ti ad remota, ut factum quōq; fuit ab impera. in princ. tit. Instit. de rer. diuis. not. 2. quod non de reb. simpliciter in hoc lib. tractatur, sed de rebus Ecclesiasticis.

b ¶ Superiore libro. ¶ Imitatio prin. tit. l. bri. secū- di institutionum iuris civilis, & est argu. quod etiā in principis librorum faciendā est continuatio.

c ¶ De iure personarum. ¶ Scilicet a titulo de iu- re personarum usque huc, licet interserui sint ali- qui tituli, qui licet principaliter non tractent de personis: habent tamē materiam annexam & dependentem, ut est ille de prebendis cum ali-

quibus sequentibus, ut in d. tit. in princ. fac. l. cum de lanionis §. aliam ff. de fid. instr. l. quę religio- sis ff. de rei vendi. l. arbor. ff. com. diuid. c. super eo. de paroch. & per Ab. in cap. quando in prin. de iudi. d. ¶ Videamus. ¶ Sicut promissimus supra, de ecclie. constit. §. fin.

DE RERVM DIVISIONE ATQVE illarum administratione.

TIT I.

Res Ecclesiasticę sunt an- spūales, aut temporales. h. d.



Superio- re li- bro b de iu- re per- sonarū e exposuimus: modo videamus d de rebus Ecclesiasticis, il- larumque tractatio- ne. Summa rerum Ec- clesiasticarū diuisio e in duos articulos di-

ducitur. Nam aut spi- rituales sunt, aut tēpo- rales. Spūales sunt f que spiritui deseruiūt atq; animę causa sunt institutę; ut sacramēta Ecclesię, altaria, & his similia. Temporales sunt, quę non tam spiritus quā corp- tis g gratia pro Ecclie- sticis ministerijs, sa- crorumque ministror- um vsu sunt compa-

Summa Rerum. CASVS hic non figuratur, not. tamē causam diuisionis quia homo constat ex anima & hinc dantur res spiritua- les, constat etiam ex corpore, & hinc habentur res tem- porales, spirituali- bus enim anima, temporalibus vero corpus conseruat. e ¶ Diuisio. ¶ Hęc diuisio sumpta fuit ex his, quę ponunt Ab. & Doct. in ca. consulete, de simo. & in c. quando, de iudic. faciunt quę ponit Io. de Selin tract. de beneficio. parte prima, qđ. 7. nu. 76. & nu. 34. & Gamma. in tracta. de permitt. benefi- ciorum in princip. nu. 75. & Kochus de Curte in tract. de iure patron. in verbo ius. nu. 2.

Res quo- tuplici ratione spūales.

f ¶ Spirituales sunt. ¶ Not. tamen qđ licet plures, & plures sint res spirituales; diuersimode tamen sunt spirituales. Quędam enim secundum essentiā: ut dona Dei. c. 1. ubi no. 1. q. 1. Item sanctorum reli- quie. Quędam propter statum, ut est religio. Quę- dam, quia dependēt a potestate spirituali. Quę dā, ratione officij. Quędam, quia annexa spiritualibus. De quibus omnibus per Ab. in c. consulete. de simo. ubi ponit, quis sit effectus an uo uel alio modo res sit spiritualis.

g ¶ Quam corporis. ¶ In consequentiam tamen bene comparata gratia spiritus; cum spiritualia si- ne temporalibus subsistere non possint. v. q. 3. cap. si quis obiecerit. & infra de reb. Ecclie. alie. in princ. Et propterea non dixit simpliciter huiusmodi res comparatas

7


INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI
COMMENTARIVM.

FLAVIVS VRSINVS FERDINANDO
FARNESIO S. D.



A L. Feb. accepi abs te litteras datas Idibus. Ianuariis; quas mihi iucun-
 das fuisse nō arbitror nec esse esse me ad te scribere, cū ex te nihil ad me
 proficisci posse, nisi iucundissimū; iā pridem exploratum habeas. Sed pro-
 fecto posteriores hęc eo fuerunt gratiores, quōd vnā Commentarium
 Lancelotti nostri secum attulerunt. Amo enim vehementer ingenij il-
 lius elegantiam. Legi itaque totum vno fermē (vt sic dicam) haultu, pro-
 probatūq; penitus tuum de libro iudicium: maluissem tamen, tam secundo cursu inchoa-
 tum a se negotium processisset, vt huius nuper a se compositi libelli argumentum illi
 defuisset; nam & librum Institutionum ipsarum nunc teneremus, & ipse amicis vsus fuisset
 melioribus, candidioribusque. Quos tamen ille Commentario illo suo adeo strenuē
 (meo quidem iudicio) vlciscitur, vt mihi aliquo pacto suis illis detractoribus debere vi-
 deatur, qui tam elegantem libellum conscribendi sibi occasionem dederint. Eum ego
 pluribus legendum exhibui, probatusque est fermē ab omnibus mirum in modum: fer-
 me, inquam, nec enim obtineri potuit, quin illico semidocti quidam Commentario-
 rum mo morderint, non quin, quæ Lancelottus de compositis a se Institutionibus disse-
 reret, verā non coniterentur: sed quod in eo illum non obscure aliquid Institutionibus
 Iuris Ciuilis detrudere conatum esse prædicent. Is enim vno, aut altero in loco eius li-
 belli dicit, quædam in illis esse ambigua, perplexa, & quæ inuicem pugnantia videantur:
 cum tamen Iustinianus nihil esse in toto iure ciuili ambiguum, vel contrarium scriptum
 reliquerit? Respondi eos Momum agere, qui cum Venerem non posset, sandalium ipsius
 quasi obstreperum dicitur improbasse, tantū autem abesse, vt ciuilibus Institutionibus
 aliquid detraxerit, vt ego illis in eo plurimum a Lancelotto, nostro tributum esse non
 dubitem, quem sciam illarum elegantiam non solum laudare, sed admirari solitum: sed
 profecto in eos interdum incidimus, qui indigni sint, quibus respondeatur. Sed de hoc
 aliās. Sum equidem delectatus vehementer cognouisse ex tuis litteris tecū delecto studio
 sissimorum iuuenum numero quotidianis prælectionibus, ac disputationibus in iure ci-
 uili exerceri. Hanc enim ego optimam, ac solam prope proficiendi rationem esse semper
 statui, præsertim si non tam ostentationis, quā discendi adsit studium cum lepore quo-
 dam ac nobilibus adolescentibus digna consuetudine coniunctum. Vtināq; mihi inter-
 dum, ab urbano isto, atq; aulico ambitu secedere, & ad ista vestra studia salua existimatio-
 ne reuerti liceret, profecto ad vos conuolare illico, vbi & cum libris diutius, & attentius
 versari, & remoto ab omni molestia cum optimis commilitionibus securam, ac pro-
 pe beatam vitam agere liceret. Sed quando mihi nunc hoc non datur, tu, quem
 ego me esse alterum semper statui, dum licet, fructu honestissimo isto, ac
 iucundissimo otio; sed ita fructu, vt interim non obtuscaris eius
 quod Catonem vsurpare solitum ferunt. Non minus,
 scilicet, otij, quā negotij, reddendam esse ra-
 tionem, ac studiosum iuuenem Ber-
 nardinum Alphenum meo no-
 mine saluere iube. Ro-
 mæ Non,
 Febr.

*Flavins
 hic nunc
 Cardinalis
 Vrsinus.*

*Commen-
 tarium Lan-
 celotti re-
 prehensum.*

COMMENTARII

INSTITUTIONVM

IVRIS CANONICI

INCIPIIT

LIBER PRIMVS.

Ioannes Paulus Lancelottus Perusinus V triusque Iuris

Candidatis Academiae Perusinae S.D.

MOO

MOO

*Auctor sa-
pe de eden-
dis Institu-
tionibus re-
quisitus.*




*Mos consu-
gum absen-
tium sibi
inuicem in-
cognitoru.*

*Cosmogra-
phi.*

ASSIDVIS vestris, tum absens litteris, tum praesens interpellatio-
nibus pulsatus facile intellexi (Iuris studiosi) quanto Institutio-
num Iuris Canonici desiderio teneamini. Quarum copiam, cum
vobis facere honestissimis rationibus hoc tempore impediat, agi
vobiscum uti aliquando eos solere animaduerti, qui longo terra-
rum intervallo distanti, neque sibi de facie inuicem cogniti per lit-
teras sponsalia, vel per procuratorem contrahunt. Nam si cito con-
gredi impediantur, & congressus moram interim non nisi egre pa-
ti possint, proprii oris ex viuo ductam effigiem, & omnes corpo-
ris partes egregie exprimentem vicissim sibi mittere consueverunt; tum ad leniendu de-
siderium, quo alter alterius conspiciendi tenetur, tum vero etiam, ut ex ipsa oris effigie,
& totius corporis lineamentis coniugis mores, & ingenium, vel quoquo modo saltim con-
iiciant: sic vos quoque opus ipsum in publicum dare prohibemur, detinebit exiguus iste
libellus, quo ea quae in quatuor Institutionum ipsarum libros a nobis congesta sunt, non
aliter complexi sumus, ac facere soleant Cosmographi, cum late patentes prouincias, at
que adeo orbem ipsum angustiis chartularum spatijs concludere nituntur; veluti enim iis
multi praetereundi sunt terrarum, ac marium tractus, & insignes saepe ciuitates occultan-
dae satisque habent, si clymata ipsa, & principales mundi partes, ac Metropoles vrbes, vel
exiguis picturis indicet, caetera inspectoru coniecturae relinquunt: ita mihi plurima in hoc
opusculo praeterire necesse fuit, quae tam angusto spatio concludi, vel comode representa-
ri non potuerunt. Erit igitur vestri iudicij ex hoc libello iustum, atque integrum ipsum opus
quasi ex vnguib, non dicam leonem: sed prout statueritis extimare, mihi quidem satis
id fuerit, si, ut in comune studiosorum utilitatem aliquid pro exiguitate ingenij confer-
rem, me nullam intermisisse diligentiam, nullis perterritu fuisse laboribus, vel incommo-
dis, nullis denique pepercisse sumptibus docuero, si propositu, atque ceptis exitus minus
responderit, in nobis culpam omnino nullam residere, atque ut breue hoc totius operis
compendium libenti animo conscriberem, non solum vestra causa adductus sum, ut vos
scilicet mei amantissimos aliquo demererer officio, verum etiam mea. Nam cum in vr-
be plura mihi necesse fuerit libri illius nostri exempla excubenda curare, eaque saepe
per longa

**IVRIS
Canonici**



DE
COMPARATIONE
IVRIS PONTIFICII ET
CAESAREI, ET VTRIVSQUE
INTERPRETANDI
RATIONE.



Praelectio in Rubricam ext. de Testamentis.

IO. PAVLO LANCELOTTO
I. C. PERVSINO AVCTORE.



R O M A E

Apud Alexandrum Gardanum, & Franciscum
Coattinum Socios. 1587.



ILLVSTRISSIMIS

ET ERVDITISSIMIS

HENRICO ET CAMILLE LO

GAETANIS FRATRIBVS

Ioan. Paulus Lanuelottus I. C. Perusinus S. D.

DVM post peractum felicissime cursum studiorum vestro-
 rum rediebam patriam paratis, quam magnam in hac
 nostra Perusina Academia vestri desiderii sitis relicti,
 cum argumentis subtilis, tam ex eo facile potuimus conij-
 cere, quod quã primam est id iudicium, bona pars iuris
 studiorum; quã non omnino prima in itia vegebant; sed qualescunque
 iniure progressus fecerãt, vos quasi duces quosdam secuti in album lu-
 nisconsulturum referri se, atque adscribi curaverunt, vobis hinc disce-
 dentibus & ipsi enolitari. Quis enim non corquatur, qui diu suavis si-
 ma vestra, atque omni genere virtutum, ac leporum referatissima consue-
 tudine frui solitus intelligat sibi in posterum tanta vestra humanitate,
 & tanta comitate, demum tam illustri bonitatis, & prudente ad imitan-
 dum proposito exemplari esse carendum? At illi hinc discedentes quo-
 quo saltem modo desiderium frustrantur suum. Nobis autem interpre-
 tibus quid erit agendum, quibus neque hinc commigrare licet, & nihilo-
 minus discessus vester est ægerime ferendus, verendumque est etiam
 ne magnorum præstantissimorumque virorum (quibus Romana curia
 abudat) consuetudine implicitis vobis tenuiores, inelegantioresq; absentes
 amici, vel inuitis, ex animo penitus effluant, quamã ratione iacturæ huic
 nostræ occurramus? Ceteri, quid acturi sint, nescio. Ego quidem (quan-
 do aliter conceptam ex discessu vestro animi molestiam excutere non li-
 ce) eos nũc mihi imitandos esse statui, qui aliquo sibi necessitudinis vin-
 culo coniunctis longam peregrinationẽ adornantibus imagunculam,
 vel anulum, vel quid his simile proficiscentibus largiuntur: quo largien-
 tium memoriam diutius ab futuri retinere, ac conseruare valeant, sitque
 inter eos mutui (vt Poeta inquit) amoris monumentum, ac pignus. Id au-
 tem erit huiusmodi quod & vobis & mihi maxime congruere existima-
 ui: nempe libellus DE COMPARATIONE VTRIVSQUE
 IURIS: quo nos hoc anno nostris interpretationibus prælusimus, ius-
 que ipsum Pontificum Cæsareo longe præstare ostendimus. Conuenit
 autem id (quidquid est munusculi) vobis quam maximè, non modo
 quòd

DE COMPARATIONE

Iuris Pontificij & Cæsarei, & utriusque interpre-
tandi ratione.

IOAN. PAVLO LANCELOTTO

auctore.



Eges omnes, ac iura omnia in dirigendis humanis actio-
nibus ad bene, beatęque uiuendum, nõ aliter se habēt,
quam habenę, frena, & calcaria ad incitandos, & mode-
randos gressus, & cursus equorum: vnde cum lex iubet
alieno abstinere, ab iniuria temperare, neminem deni-
que hominem lædere, contrafacientibusque pœnas ad-
dit, nobis, ac cupiditatibus nostris quasi frena quędam
iniicit, & habenas præmit, flagellisque coercet. Cum vero honesta iuber,
atque ad ea præmiis nos allicit, naturę humanę ad bonitatem stimulos
addit, & calcaria subdit: demum cum quędam benigne indulget, permit-
tit, vel tolerat, habenas laxat. Sed tamen tã cohibendo, quã incitando,
quam etiam indulgendo ad vnicum tantum, ac certum finem genus hu-
manum dirigit, nempe ad bene, beatęque viuendum.

Sed illud mirum accidit hac in re: nam cum humana mens vna sit,
vnus tantum sit humanus intellectus, vna demum generis humani na-
tura: cui moderantur leges, vniformes & illas esse oportuit, & decuit:
cum tamen interea illę multę sint, tam varia, tam contraria vni homi-
ni præcipientes; vt speciem interdum nobis referant plurium infello-
rum eundem equum in varia, ac diuersa eodem tempore agentium, &
distrahentium: ita vt quo tempore hic calcaria admouet, eodem etiam
ille habenas contrahat, alius in gyrum vertat: quo nihil videtur fieri,
excogitariue potuisse incongruentius, & absurdus. Nam cum leges
nobis dominantur, certe vel Evangelica veritate admonente duobus do-
minis diuersa, immo contraria iubentibus obtemperare, non magis
possumus, quam equus eodem tempore cursum arripere, sistere, ac
circumducij. Huius rei exempla sunt in promptu; nam vt omittamus
magnam inter ius naturale, & gentium diuersitatem, quę nemini nota nõ
est quam magna est diuersitas inter ius Põtificium, & Cæsareum: quibus
duobus vniuersa ferme Christiana respublica regitur; quã multa vtroque
iure statuta municipalibus legib⁹ quotidie immutãtur? Ecce ius ciuile, vt
sit litiũ finis, induxit vncapiones, & præscriptiones, quas disposuit proce-
dere, & compleri et si possessori mala fides superueniat. l. cum notis. C.

Erga homi-
nes quali-
ter se ha-
beant ieges.

Vna mens
humana,
vnus intel-
lectus.
Leges di-
uersa accõ-
raria præc-
ipientes.

Vncapio
quã vario
cõsiderata.